

§. XIII.

Noster Textus hanc nostram iustificationem seu immunitatem a peccatis eorumque pœnis vocat *emundationem* non secus ac Ezech. XXXVI, 33. Ebr. I, 3. 2 Pet. I, 9. quam sicuti Apostolus h. l. sanguini Christi adscribit; ita aliis scripturae locis eundem effectum DEUS sibi ipsi vindicat, eadem prorsus ratione et modo. Praeprimis pia mente quotidie recolenda sunt verba Ier. XXXIII, 8. *Mundabo eos ab omni iniquitate eorum, qua peccauerunt mihi et condonabo omnes iniquitates ipsorum, quibus peccauerunt mihi et quibus deficientes in me rebellauerunt.* Conf. 1 Ioh. I, 9. Ezech. XXIV, 13. C. XXXVI, 25. 33. C. XXXVII, 23. Ioh. XV, 2. non certe DEO aliud huius purgationis medium adhibere placuit, quam unicum Christi sanguinem: Heb. IX, 22. Aliquando Christus velut subiectum QUOD hanc purgationem effecisse dicitur, Eph. V, 26. at vero non nisi per praetiosum suum sanguinem Rom. V, 9. Et quamuis citatus locus Eph. V. Christum per lauacrum aquae in verbo Ecclesiam suam purgasse doceat; iam tamen antea immediate dictum fuerat: Christum semet tradidisse pro Ecclesia, quod profecto sine sanguinis effusione factum non est, et sic eandem repurgasse, ubi lauacrum aquae sanguini Christi non contradistinguere, sed suo quodam modo subordinare voluit; Idem, quod Tit. II, 14. *Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate et mundaret sibi populum;* Nonnunquam vero significatione passiva differit scriptura de hac emundatione, abstrahendo videlicet ab eo, cui haec purgatio accepta ferenda sit. vid. Ios. XXII, 17. Ier. XIII, 27. Imo et scriptura interdum hanc expurgationem adiudicat homini Es. I, 16. Sir. XXXVIII, 10. 2 Cor. VII, 1. Iac. IV, 8. 1 Ioh. III, 3. Verum hic non nisi assistente DEO et mediante fide, Act. XV, 9. utpote quæ in unicum Christi sanguinem defigitur, Rom. III, 25. tantum effectum producere aptus est.

C 3

§. XIV.